

De ordinatis ab haereticis.

Solet etiam quaeri, si haeretici ab Ecclesia praecisi et damnati possint tradere sacros ordines; et si ab eis ordinati redeuntes ad Ecclesiam unitatem debeant reordinari. Hanc quaestionem perplexam ac pene insolubilem faciunt doctorum verba, qui plurimum dissentire videntur. Videntur enim quidam tradere haereticos, sacros ordines dare non posse, sed illos qui ab eis ordinantur, videntur gratiam recipere. Dicit enim Innocentius (4), Ariatorum clericos non videri suscipiendos cum sacerdotii vel ministerii alicuius dignitate, quibus solum baptismum ratum esse permittit, quod in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti percipiunt. Dicit etiam eos non posse dare Spiritum sanctum quem auferunt, et ordinatos ab haereticis caput habere vulneratum; et eum qui honorem amisit, honorem dare non posse, nec illum aliquid accepisse: quoniam in dante nihil erat (quod ille posse accipere. Tradit etiam, venientibus ab haereticis per manus impositionem laicam tantum tribuendam communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum surrogare. Gregorius etiam dicit (lib. 5 Dialog., cap. 51, et refertur in Decretis causa 1, quaest. 1, cap. «Superveniente») sacerdotem esse Ariatorum consecrationem, cum ex eorum manu communio percipitur. Cyrilianus etiam dicit (ut refertur cap. «Si quis»), omnia quaecumque faciunt haeretici, carnalia et mania et sacrilegia esse; et eorum altaria falsa, et illicita sacerdotia, et sacrilegia sacrilega, qui more simoniarum, quae cum homines non sint, formam imitantur humanam, vultum Ecclesiae catholicae et auctoritatem sibi vindicant cum ipsi in Ecclesia non sint; et cum sint sacrilegi, sacerdotium administrant, et altare ponunt, cum nec sacrificii oblatio illis possit ubi Spiritus sanctus non sit, nec cuiquam Dominus per ejus preces et orationes proest qui Dominum ipsum violat. Hieronymus quoque asserit (in cap. 2 Aggaei, et refertur in Decret. ubi sup., cap. «Sit populus»), omnia quae offeruntur ab haereticis, contaminata esse in conspectu Domini: quia licet sacra videntur specie sui, tamen quia contacta sunt ab illo qui pollutus est, pollutantur omnia. Idem (super Anos cap. 5, et habetur ubi sup., cap. «Odem») «Odit Deus sacrificia haereticorum, et a se «projicit; et quoties in nomine ejus congregati fuerint de- «testatur factorem eorum, et claudit naras suas. « Idem in Osee 1, et refertur cap. «Illi»: «Illi offerunt panem «sacrilegum etc. «Leo (2) etiam testatur extra Ecclesiam esse rata esse sacerdotia, nec vera esse sacrificia. Idem etiam dicit: «Per crudelissimam vesaniam in Alexandria sede «omne sacramentorum lumen extinctum est (3). Interepra «est sacrificii oblatio, defectus christum sanctificatio, et par- «riodialis manibus impiorum omnia se subtraxere my- «steria. «His alicuius testimonis astrui videtur, sacramenta ecclesiarum, praecipue corporis et sanguinis, ordinationis et confirmationis, per haereticos non posse ministrari.

Auctoritates ponit quae videntur praemissis obviare.

Contra autem alii sentire videntur, quod ab haereticis etiam praecisi sacri ordines sicut et baptismus, tradi valeant; nec ab haereticis redeuntes, qui illic ordinati sunt, et baptizati, iterum ordinandi sint, sicut nec baptizandi. Unde Augustinus (lib. 2 contra epistolam Parmeniani, cap. 15, et habetur in Decr. cap. 1, quaest. 1, cap. «Quod quidam») de haereticis etiam condemnatis dicit. «Quid quidam dicunt (4) «Baptisma quod accepit non amittit, qui recedit ab Ecclesia; «jus dandi quod accepit, amittit: nullis modis apparet ina- «niter dei. Primo, quia nulla ostenditur causa cur ille qui «illud baptismum amittere non potest, jus dandi possit amittere: utrumque enim sacramentum est, et quadam con- «secratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, et illud cum ordinatur; ideo non licet in catholica Ecclesia «utrumque iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes

(1) Nempe Innocentius 4 in epist. 18, ad Alexandrum scrip-
ta, cap. 5, et refertur in Decretis, causa 1, quaest. 1, cap.
Arianus (Ex edit. P. Nicolai).
(2) Quod subiungitur ex Leone, partim ex epist. 48, cap.
2, partim ex epist. 75, desumptum est, ut cap. In Ecclesia
Dei, et cap. seq. Manifestum (Ex edit. P. Nicolai).
(3) Al. omittitur est.
(4) Al. etiam damnatis quod quidam dicant etc.

etiam praepositi pro bono pacis, correctio schismatis errore «suscepti sunt, etsi visum est opus esse ut eadem officia «gererent quae agebant, non sunt rursus ordinandi (1). «Sed sicut baptismus in eis, ita in eis mansit ordinatio in- «tegra: quia in praecisione fuerat vitium, quod in unitate «pacis est correctum, non in sacramentis, quae ubique «sunt, ubi vera sunt. Et cum ipsi expedire videtur Eccle- «siae ut praepositi eorum venientes ad catholicam socie- «tatem, honores suos ibi non administrant; sed eis tamen «ipsa ordinationis sacramenta detrahantur, sed super eos «manent, ideoque non eis (2) manus imponitur, ne non «homini, sed ipsi sacramento fiat injuria. Sicut autem in «baptismo est jus quod per eos dari possit; sic in ordina- «tione jus dandi est, utrumque quidem ad perniciem suam (3). «Sed aliud est non habere, aliud perniciose habere, aliud «salubriter habere. « Idem (ibid. inferius): «de his qui «qui ab Ecclesia unitate separati sunt, nulla jam quaestio «est, quin habeant et dare possint. Sed perniciose habent, «pernicioseque dant, quia extra vineam pacis sunt. Neutri «sacramento facienda est injuria. Sicut non recte habet qui «ab unitate recedit, sed tamen habet; et ideo redempti non «redditur; sic etiam non recte dat qui ab unitate recedit, «et tamen dat; et ideo quod ab eo accepit (4), venient ad «unitatem non iteratur. « Idem (3) (ubi supra): «Aliud «est non habere aliquid; aliud est non jure habere, vel il- «licite usurpare. Non ergo ideo non sunt sacramenta Chri- «sti et Ecclesiae, quia eis illicite utantur non modo haere- «tici, sed etiam omnes impii. Sed illi corrigendi sunt et «puniendi; illa autem sunt agnoscentia et veneranda. « Item Gregorius (lib. 2, epist. 52): «Quod dicitur, ut qui «ordinatus est, iterum ordinatur, valde ridiculum est. Ut «enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet; ita «qui consecratus est semel, in eodem ordine non valet ille- «ritum consecrari. «His alicuius auctoritatis videtur asseri «in omnibus impiis, etiam in haereticis praecisi et damnati, «Christi sacramenta permanere cum jure dandi. Possunt e- «nim dare, sed perniciose; et quibus dederint, non sunt iterum ordinandi: quae praemissis ex opposito obviare videntur.

Determinatio praemissa contradictionis auctoritatis.

Hae autem quidam ita determinant. Dicunt enim haereticos, accepta sacerdotii vel episcopatus unione, ab Ecclesia recedentes, baptismi quidem dandi jus retinere; sed non habere facultatem tribuendi sacros ordines, vel consecrandi dominicum corpus, postquam praecisi et damnati sunt ab Ecclesia: sicut degradatus Episcopus non habet potestatem largiendi sacros ordines; facultatem tamen baptizandi non amittit. Quod vero Augustinus ait, intelligit dicitum de haereticis, qui non sententia Ecclesiae, sed privatione sensus sui a fidei veritate ac doctrinae unitate divisi sunt. Qui licet tales sint, jus tamen ordinandi et consecrandi habent; et qui ab eis ordinantur ante manifestam praecisionem, etiamsi cum eis aperte exierint, et sententia Ecclesiae damnati fuerint, tamen si redierint, iterum ordinandi non sunt. Et ubique legitur de ordinatis, quod servatis eis ordinibus ministrare valeant, vel iterum ordinandi non sint, de hujusmodi accipiendum dicunt. Nam postquam praecisi fuerint et damnati iudicio Ecclesiae, jus ordinandi et consecrandi eis detractum asserunt, ut degradatis vel excommunicatis. Alii vero dicunt sacramenta ab haereticis et praecisis secundum formam ab Ecclesia celebrata, vera esse et rata: quia recedentes ab Ecclesia jus dandi et consecrandi non perdidissent; et qui sic ab haereticis ordinantur, cum redeunt, iterum ordinandi non sunt. Quae vero ab haereticis aliter quam in Ecclesia fiunt, falsa sunt et inania; et qui a talibus ordinari videntur, non minus, sed minus accipiunt. Et secundum hanc differentiam varie de his loquentur doctores. Quidam vero dicunt, eadem sacramenta ab haereticis praecisis posse celebrari quae a catholicis, si ab illis forma Ecclesiae servetur; et ab eis celebrata vera esse et rata quantum ad se; quantum vero ad effectum, falsa esse et inania et in his qui male tractant,

(1) Forte ordinati.
(2) Nicolai addit in populo.
(3) Idem (quandiu caritatem non habent unitatis).
(4) Al. qui ab eo accepit.
(5) De Baptismo contra Donatistas, lib. 5, cap. 10 (Ex edit. P. Nicolai).

et in his qui male suscipiunt; et ideo irrita et falsa: quia quod promittunt et conferre credunt, non tribuunt. Dam-
nanda etiam dicuntur, quia illicite dantibus vel accipientibus sunt in iudicium. Polluta etiam dicuntur non quantum ad se, sed propter indignam haereticorum tractationem. Ideo Gregorius (lib. 3 Dialog. cap. 51) communionem Ari vocat excommunicationem, et Innocentius Bonosii ordinationem damnationem: non quod ita in se sint, sed quia male dantes vel accipientes tales faciunt. Sicut etiam Hieronymus sacrificia eorum panem lactus vocat (super Osee cap. 9), non quantum ad se, sed quantum ad effectum. Nonnulli vero tradunt, illos haereticos qui in Ecclesia ordinati sunt, jus ordinandi et consecrandi, etiam cum separati fuerint, habere. Qui vero in schismate vel haeresi positus ab eis ordinati et muneri fuerint, illo jure carent ideoque cum ordinare volunt, vinus potius indigent quam gratiam conferunt.

De simonia, unde dicatur, et quid sit.

De simoniaco vero non est ambigendum quia sint haereticus; qui tamen ante sententiam degradationis et ordinant et consecrant. Et licet simoniaci proprie dicantur qui instar simonis magi impretiabilem (1) gratiam pretio conducere volunt; et qui pro ministerio sacro pretium recipiunt in modum Giezi, Gieziae vocandi sint; omnes tamen, et dantes et accipientes, simoniaci dicuntur, et utriusque eadem sententia percelluntur.

De his qui sciunt se a simoniaco ordinantur.

Differunt tamen inter eos qui ordinantur a simoniaco scienter, et eos qui ignorant. Qui enim scienter a simoniaco se permisissent consecrari, immo excoarari, eorum consecratio omnino irrita est (2). Qui vero ordinantur a simoniaco, quos cum ordinantur, nesciunt esse simoniacos, qui et tunc pro catholicis habentur; eorum ordinatio misericorditer sustinetur.

De his qui dicunt se emere corporalia, non spiritualia.

Si vero aliqui objecerint, se non consecrationes emere, sed res ipsas quae ex consecratione proveniunt, penitus decipere probant. Nam quisque horum alterum vendit sine quo alterum non habetur, neutrum vendere derelinquit.

Distinctio simoniacorum.

Simoniaca autem haeresis tripartita est distinctio. Alii enim simoniaca a simoniaco ordinantur; alii simoniaca a non simoniaco; alii non simoniaca a simoniaco. Unde Nicolaus Papa (5): «Statuimus decretum de simoniaca tripartita haerese»

(1) Nicolai inappretiablem.
(2) Sic loquitur Urbanus Papa, et sic dicitur in Concilio Pileatino cap. 4, ex quo refertur in Decretis, ut supra, causa 1, quaest. 1, cap. Si qui Simoniaco. Sequens vero appendix est ex Paschali Papa, cap. Si quis abjecerit, eadem causa 1, quaest. 5 (Ex edit. P. Nicolai).
(3) Scilicet Nicolaus 2, ad Episcopos omnes scribens, ut rursus in Decretis refertur ubi supra, cap. Statuimus decretum (Ex edit. P. Nicolai).

Divisio textus.

Postquam determinavit Magister de sacramento ordinis, hic determinat de conferentibus et suscipientibus hoc sacramentum; et dividit in partes duas: in prima determinat de conferentibus; in secunda de suscipientibus, ibi: *Sacri canones sanxerunt ut Subdiaconus non ordinetur ante quatuordecim annos etc.* Prima in duas; in prima inquit de haereticis, utrum possint ordinare; secundo specialiter de simoniaco, ibi: *De simoniaco vero non est ambigendum quin sint haeretici.* Prima in tres; in prima ponit auctoritatem ad ostendendum quod haeretici non possunt hoc sacramentum conferre; in secunda ponit auctoritates ad contrarium, ibi: *Contra autem alii sentire videntur; in tertia solvit,*

«res: idest de simoniaco simoniace ordinantibus, vel ordi-
natis; et de simoniaco simoniaca a non simoniaco, et de
simoniaco non simoniaca a simoniaco (1). Simoniaci simo-
niace ordinati vel ordinatores secundum canones (2) a
proprio gradu decidunt. Simoniaci etiam simoniace a non
simoniaco ordinati, similiter ab officio reoveantur. «
Simoniaco vero non simoniaca a simoniaco ordinatores mi-
sericorditer per manus impositionem pro temporis necessi-
tate in officio permittunt permanere. «Quod intelligendum
est de his qui ordinantur a simoniaco, ignorantes eos
esse simoniacos: quia (3) hos facit simoniaco non (4) reatus
criminis, sed ordinatio simoniaci.

Alexander Papa de his qui violenter a simoniaco, vel ab haereticis ordinantur.

Similiter cum decretis Alexander Papa (3), simoniacos omnino damnandos ac deponendos; subintelligendum est nisi haeretici qui attractus fuerint. De his enim, et a quibuslibet violenter violenter ordinatis, dicit Innocentius (6), quod possunt habere aliquem colorem excusationis, si statim discendant ab eis, et pessimo eorum conciliabulo renuntiant.

De aetate ordinandorum ita decrevit Nicolaus Papa (7).

«Sacri, inquit, canones sanxerunt ut subdiaconus non
ordinetur ante quatuordecim annos, nec diaconus ante vi-
ginti quinque, nec presbyter ante triginta. Deinde si dignus
fuerit, ad Episcopatum eligi potest: quod nos etiam pari
modo servare jubemus. «Item Bonifacius (8): «Si quis
triginta aetatis non impleverit annos, nullo modo presbyter
ordinetur, etsi valde sit dignus: quia et ipse Dominus
«triginta annorum baptizatus est, et sic coepit docere (9). «

(1) Nicolai: et de simoniaca a simoniaco.
(2) Quod dicitur de canonicis, sumptum est ex cap. Qui studet, et Si quis Episcopus, et cap. Si quis, et cap. Quicumque causa 1, et ex aliis passim (Ex edit. P. Nicolai).
(3) Al. deest quia.
(4) Al. omittitur non.
(5) Nempe Alexander 2, causa 1, quaest. 1, cap. Erga Simoniacos (Ex edit. P. Nicolai).
(6) Utiq; primus ubi supra, cap. Constat multos ex epist. 22, cap. 5 (Ex edit. P. Nicolai).
(7) Ex Nicolao non occurrit, sed in Decr. dist. 77, cap. In simulis refertur ex Zozyms, etsi corrupte, cum debeat potius legi non quod Subdiaconus quatuordecim annis fiat, sed quod cum viginti annis excesserit (juxta cap. Subdiaconus, et Quicumque, immediate sequens) quatuor annis in subdiaconatus gradu perseveret, ut ex vetusto Gratiani codice ac Rabano appendix ibi notat: et sic etiam tom. 1 Conciliorum, part. 1, epistola Zozyms ad Hesyehum habet, et ut apud Rabanum lib. 1, de institut. clericorum, cap. 45, tom. 10 Bibliothecae PP. videre est (Ex edit. P. Nicolai).
(8) Vel Fabianus in Decretis dist. 78, cap. 1 (Ex edit. P. Nicolai).
(9) Ut etiam in cap. Presbyter ex Concilio Neocaesariensi, cap. 11, in eadem dist. subiungitur (Ex edit. P. Nicolai).

ibi: *Haec autem quidam ita determinant. Et ponit quatuor solutiones diversorum, ut in littera patet.*

De simoniaco autem non est ambigendum quin sint haeretici. Hic inquit de simoniaco; et circa hoc duo facit: primo ostendit qui sunt simoniaci; secundo utrum possint ordinare, ibi: *Differunt tamen inter eos qui ordinantur a simoniaco scienter, et eos qui ignorant.*

QUAESTIO I.

Hic est triplex quaestio. Prima de ordinantibus. Secunda de ordinatis. Tertia de simoniaco. Circa primum quaeruntur: 1.º utrum solus Episcopus possit conferre ordinis sacramentum; 2.º utrum haereticus, vel quicumque ab Ecclesia praecisus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum tantum Episcopus ordinis sacramentum conferat.

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod non tantum Episcopus ordinis sacramentum conferat. Quia manus impositio aliquid ad consecrationem facit. Sed sacerdotibus qui ordinantur, non solus Episcopus manus imponit, sed sacerdotes astantes. Ergo non solus Episcopus confert ordinis sacramentum.

2. Praeterea, tunc unicuique datur potestas ordinis, quando ei exhibetur quod ad actum sui ordinis pertinet. Sed subdiacono datur urecolus cum aqua, manili et manutergio ab Archidiacono; similiter acolythis candelabrum cum cereo, et urecolus vacuus. Ergo non solus Episcopus confert ordinis sacramentum.

3. Praeterea, illa quae sunt ordinis, non possunt alicui committi qui non habet ordines. Sed conferre ordines minores committitur aliquibus qui non sunt Episcopi, sicut presbyteris Cardinalibus. Ergo conferre ordines non est episcopalis ordinis.

4. Praeterea, cuiusque committitur principale, et accessorium. Sed ordinis sacramentum ordinatur ad eucharistiam sicut accessorium ad principale. Cum ergo sacerdos consecret eucharistiam, ipse etiam poterit ordines conferre.

5. Praeterea, plus distat sacerdos a diacono quam Episcopus ab Episcopo. Sed Episcopus potest consecrare Episcopum. Ergo et sacerdos potest promovere diaconum.

Sed contra, nobiliori modo applicantur ad divinum cultum ministri per ordines quam vasa sacra. Sed consecratio vasorum pertinet ad solum Episcopum. Ergo multo fortius consecratio ministrorum.

Praeterea, sacramentum ordinis est excellentius quam confirmationis. Sed solus Episcopus confirmat. Ergo multo magis solus confert ordinis sacramentum.

Praeterea, virgines per benedictionem non constituuntur in aliquo gradu spiritualis potestatis, sicut ordinati constituuntur. Sed virgines benedicere est solus Episcopi. Ergo multo magis solus ipse potest alios ordinare.

Solutio. Respondeo dicendum, quod potestas episcopalis se habet ad potestatem ordinum inferiorum sicut politica, quae coniectat bonum commune, ad inferiores artes et virtutes, quae coniectant aliquod bonum speciale, ut ex dictis patet. Politica autem, ut dicitur in 1 Ethic., ponit legem inferioribus artibus, scilicet quis quam debeat exercere, et quantum et qualiter; et ideo ad Episcopum pertinet in omnibus divinis ministeriis alias collocare. Unde ipse solus confirmat, quia confirmati in quodam officio confidendi fidem constituuntur; ideo etiam solus ipse virgines benedicit, quae figuram gerunt Ecclesiae Christo desponsatae, cuius circa ipsi principaliter committitur: ipse etiam in ministeriis (1) ordinum ordinando consecrat, et vasa quibus uti debent, eis determinat sua consecratione; sicut etiam officia saecularia in civitatibus distribuuntur ab eo qui habet excellentiorem potestatem, sicut a Rege.

(1) *Al.* in ministris.

Ad primum ergo dicendum, quod in impositione manuum non datur character sacerdotalis ordinis, ut ex dictis patet, sed gratia, secundum quam ad exequendum ordinem sint idonei; et quia indigent amplissima gratia, ideo sacerdotes cum Episcopo manus imponunt eis qui in sacerdotes promoventur; sed diaconis solus Episcopus.

Ad secundum dicendum, quod Archidiaconus est quasi princeps ministerii; ideo omnia quae ad ministerium pertinent ipse tradit, sicut cereum quo acolythus diacono servit ante Evangelium ipsum portando, et urecum quo servit subdiacono; et similiter dat subdiacono ea quibus superioribus ordinibus servit; et tamen in illis non consistit principaliter actus subdiaconi, sed in hoc quod operatur circa materiam sacramenti; et ideo characterem accipit in hoc quod datur ei calix ab Episcopo. Sed acolythus accipit characterem ex verbis Episcopi in hoc quod accipit praediata ab Archidiacono; et magis in acceptione urecoli quam candelabri. Unde non sequitur quod Archidiaconus ordinem conferat.

Ad tertium dicendum, quod Papa, qui habet plenitudinem potestatis pontificalis, potest committere non Episcopo ea quae ad episcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum corpus Christi; et ideo ex ejus commissione aliquis sacerdos simpliciter potest conferre minores ordines et confirmare, ut supra, dist. 7, quaest. 1, art. 1, quaestione. 5, dictum est; non autem aliquis non sacerdos; nec iterum sacerdos majorum ordines qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem quam simplex sacerdos.

Ad quartum dicendum, quod quamvis sacramentum eucharistiae sit maximum sacramentum in se; tamen non collocat in aliquo officio, sicut ordinis sacramentum; et ideo non est similis ratio.

Ad quintum dicendum, quod ad communicandum alteri quod quis habet, non exigitur solum propinquitas, sed completio potestatis. Sed quia sacerdos non habet completam potestatem in hierarchicis officiis, sicut Episcopus; ideo non sequitur quod possit diaconos facere, quamvis ille ordo sit sibi propinquus.

ARTICULUS II.

Utrum haeretici et ab Ecclesia praecisi possint ordines conferre.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod haeretici et ab Ecclesia praecisi non possint ordines conferre. Plus enim est aliquem promovere ad ordines quam aliquem absolvere vel ligare. Sed haeretici non potest absolvere vel ligare. Ergo nec ordines conferre.

2. Praeterea, sacerdos ab Ecclesia separatus potest conficere: quia in eo character indelebiter manet, per quem hoc potest. Sed Episcopus non accipit aliquem characterem in sui promotione. Ergo non est necesse quod episcopalis potestas in eo remaneat post separationem eius ab Ecclesia.

3. Praeterea, in nulla communitate ille qui a communitate repellitur, potest communitatis officia disponere. Sed ordines sunt quaedam officia Ecclesiae. Ergo ille qui extra Ecclesiam ponitur, non potest ordines conferre.

4. Praeterea, sacramenta habent efficaciam ex passione Christi. Sed haeticus non continuatur passioni Christi neque per propriam fidem, cum sit infidelis, neque per fidem Ecclesiae, cum sit ab Ecclesia separatus. Ergo non potest sacramentum ordinis conferre.

5. Praeterea, in ordinis collatione exigitur benedictio. Sed haeticus non potest benedicere; quinimo benedictio sua in maledictionem vertitur, ut patet per auctoritates in littera inductas. Ergo non potest ordines conferre.

Sed contra est, quia aliquis Episcopus in haeresim lapsus, quando reconciliatur, non iterum consecratur. Ergo non amisit potestatem quam habebat ordines conferendi.

Praeterea, major potestas est potestas conferendi ordines quam potestas ordinum. Sed ordinum potestas non amittitur propter haeresim, vel aliquid hujusmodi. Ergo nec potestas ordines conferendi.

Praeterea, sicut baptizans exhibet tantum ministerium exterius, ita et conferens ordines, Deo interius operante. Sed nulla ratione aliquis ab Ecclesia praecisus amittit baptizandi potestatem. Ergo nec ordines conferendi.

Solutio. Respondeo dicendum, quod circa hoc ponuntur in littera quatuor opiniones.

Quidam enim dicunt, quod haeticus quamdiu ab Ecclesia toleratur, habet potestatem ordines conferendi; non autem postquam ab Ecclesia fuerint praecisi; et similiter nec degradati, et alii hujusmodi; et haec est prima opinio. Sed hoc non potest stare: quia omnis potestas quae datur cum aliqua consecratione, nullo casu contingente tolli potest, sicut nec ipsa consecratio annullari: quia etiam altare vel chrisma semel consecrata, perpetuo sacra manent. Unde, cum episcopalis potestas cum quadam consecratione detur, oportet quod perpetuo maneat, quantumcumque aliquis peccet, vel ab Ecclesia praecidatur.

Et ideo alii dixerunt, quod praecisi ab Ecclesia qui in Ecclesia potestatem episcopalem habuerunt, retinent potestatem alios ordinandi et promovendi; sed promoti ab eis hoc non habent; et haec est quarta opinio. Sed hoc etiam esse non potest: quia si illi qui fuerunt in Ecclesia promoti, retinent potestatem quam acceperunt, patet quod exequendo suam potestatem, veram consecrationem faciunt, et ideo vere tribuunt omnem potestatem quae consecratione datur; et sic ordinati ab eis vel promoti habent eandem potestatem quam et ipsi.

Et ideo alii dixerunt, quod etiam praecisi ab Ecclesia possunt ordines et alia sacramenta conferre, dummodo formam debitam et intentionem servent, et quantum ad primum effectum, qui est collatio sacramenti, et quantum ad ultimum, qui est collatio gratiae; et haec est secunda opinio. Sed hoc etiam non potest stare: quia ex hoc ipso quod aliquis haeretico praeciso ab Ecclesia in sacramentis communicat, peccat; et ita factus accedit, et gratiam consequi non potest, nisi forte in baptismo in articulo necessitatis.

Et ideo alii dicunt, quod vera sacramenta conferunt, sed cum eis gratiam non dant, non propter inefficaciam sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis sacramenta contra prohibitionem Ecclesiae; et haec est tertia opinio, quae vera est.

Ad primum ergo dicendum, quod effectus absolutionis non est alius quam remissio peccatorum,

quae per gratiam fit; et ideo haeticus non potest absolvere, sicut nec gratiam in sacramentis conferre; et iterum, quia ad absolutionem requiritur jurisdictio, quam non habet ab Ecclesia praecisus.

Ad secundum dicendum, quod in promotione Episcopi datur sibi potestas quae perpetuo manet in eo; quamvis dici non possit character, quia per eam non ordinatur homo directe ad Deum, sed ad corpus Christi mysticum; et tamen indelebiter manet sicut character, quia per consecrationem datur.

Ad tertium dicendum, quod illi qui ab haeticis promoventur, quamvis accipiant ordinem, non tamen recipiunt executionem, ut licite possint in suis ordinibus ministrare ratione illa quam objectio tangit.

Ad quartum dicendum, quod per fidem Ecclesiae continuantur passioni Christi: quia quamvis in ea non sint secundum se, sunt tamen in eo quantum ad formam Ecclesiae, quam servant.

Ad quintum dicendum, quod hoc est referendum ad ultimum effectum sacramentorum, ut tertia opinio dicit.

QUAESTIO II.

Deinde quaeritur de ordinatis; et circa hoc quaeruntur duo: 1.^o utrum aliquis impediatur propter defectum naturae; 2.^o utrum impediatur propter conditionem fortunae exterioris.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum sexus femineus impediatur ordinis susceptionem.

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod sexus femineus non impediatur ordinis susceptionem. Quia officium prophetiae est majus quam sacerdotis officium: quia propheta est medius inter Deum et sacerdotem, sicut sacerdos inter Deum et populum. Sed prophetiae officium aliquando mulieribus est concessum, ut patet 4 Reg. (cap. 22). Ergo et sacerdotii officium eis competere potest.

2. Praeterea, sicut ordo ad quandam perfectionem pertinet, ita et praelationis officium, et martyrium, et religionis status. Sed praelatio committitur mulieribus in novo testamento, ut patet de Abbatissis, et in veteri, ut patet de Debora quae iudicavit Israel, Judicum 4: competit etiam eis martyrium, et religionis status. Ergo et ordo Ecclesiae.

3. Praeterea, ordinum potestas in anima fundatur. Sed sexus non est in anima. Ergo diversitas sexuum non facit distinctionem in receptione ordinum.

Sed contra est quod dicitur 1 Tim. 2, 12: *Mulierem docere in Ecclesia non permitto, nec dominari in virum.*

Praeterea, in ordinandis praecigitur corona, quamvis non de necessitate sacramenti. Sed corona et tonsura non competit mulieribus, ut patet 1 Corinth. 11. Ergo nec ordinum susceptio.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod pueri, et qui carent usu rationis, non possint ordines suscipere. Quia, ut in littera dicitur, sacri canones in suscipiendis ordinibus certum aetatis tempus determinaverunt. Sed hoc non esset, si pueri recipere possent ordinis sacramentum. Ergo etc.

2. Praeterea, sacramentum ordinis est dignius quam matrimonium. Sed pueri, et alii carentes usu rationis, non possunt contrahere matrimonium. Ergo nec ordines suscipere.

5. Praeterea, cuius est potentia, ejus est actus, secundum Philosophum in lib. de Somno et Vigilia (cap. 1). Sed actus ordinis requirit usum rationis. Ergo et ordinis potestas.

Sed contra, ille qui ante annos discretionis est promotus ad ordines, sine iteratione ipsorum quandoque in eis conceditur ministrare, ut patet Extra. de clerico ordinato per saltum. Hoc autem non esset, si ordinem non suscepisset. Ergo puer potest ordinem suscipere.

Praeterea, alia sacramenta in quibus character imprimitur, possunt pueri suscipere, ut baptismum et confirmationem. Ergo pari ratione ordinem.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod quaedam requiruntur in recipiente sacramentum quasi de necessitate sacramenti, quae si desint, non potest aliquis suscipere neque sacramentum neque rem sacramenti; quaedam vero requiruntur non de necessitate sacramenti, sed de necessitate praeccepti propter congruitatem ad sacramentum; et sine talibus aliquis suscipit sacramentum, sed non rem sacramenti. Dicendum ergo, quod sexus virilis requiritur ad susceptionem ordinis non solum secundo modo, sed etiam primo. Unde etsi mulieri exhibeantur omnia quae in ordinibus fiunt, ordinem non suscipit: quia cum sacramentum sit signum, in his quae in Sacramento aguntur, requiritur non solum res, sed significatio rei; sicut dictum est, quod in extrema unctione exigitur quod sit infirmus, ut significetur unctione indigens. Cum ergo in sexu femineo non possit significari aliqua eminentia gradus, quia mulier status subjectionis habet; ideo non potest ordinis sacramentum suscipere. Quidam autem dixerunt, quod sexus virilis est de necessitate praeccepti, sed non de necessitate sacramenti: quia etiam in Decretis fit mentio de diaconissa et presbytera. Sed diaconissa dicitur quae in aliquo actu diaconi participat, sicut quae legit hominiam in Ecclesia; presbytera autem dicitur vidua, quia presbyter idem est quod senior.

Ad primum ergo dicendum, quod prophetia non est sacramentum, sed donum Dei; unde non exigitur ibi significatio, sed solum res. Et quia secundum rem, in his quae sunt animae, mulier non differt a viro, cum quandoque mulier inveniatur melior quantum ad animam multis viris; ideo donum prophetiae et alia hujusmodi potest accipere, sed non ordinis sacramentum.

Et per hoc patet solutio ad secundum et tertium. De abbatissis tamen dicitur, quod non habent praelationem ordinariam; sed quasi ex commissione propter periculum cohabitationis virorum ad mulieres. Debora autem praefuit in temporalibus, non in sacerdotalibus, sicut et nunc mulieres possunt temporaliter dominari.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod per pueritiam, et alios defectus quibus tollitur usus rationis, praestatur impedimentum actui; et ideo omnia illa sacramenta quae actum requirunt suscipientis, talibus non competunt, sicut poenitentia, matrimonium, et hujusmodi. Sed quia potestates infusae sunt priores actibus, sicut et naturales, quamvis acquisitae sint posteriores; remoto

autem posteriori non tollitur prius; ideo omnia sacramenta in quibus non requiritur actus suscipientis de necessitate sacramenti, sed potestas aliqua spiritualis divinitus datur, possunt pueri suscipere; et alii qui usu rationis careant; haec tamen distinctione habita, quod in minoribus ordinibus requiritur discretio tempus de honestate propter dignitatem sacramenti, sed non de necessitate praeccepti, neque de necessitate sacramenti. Unde aliqui, si necessitas adsit, et spes profectus, ad minores ordines possunt ante annos discretionis promoveri sine peccato, et suscipere ordinem: quia quamvis tunc non sint idonei ad officia quae eis committuntur, tamen per assuetudinem idonei redduntur. Sed ad majores ordines requiritur usus rationis et de honestate, et de necessitate praeccepti propter votum continentiae quod habent annexum; et quia etiam eis sacramenta tractanda committuntur. Sed ad episcopatum, ubi in corpus mysticum accipitur potestas, requiritur actus suscipientis curam pastorem; et ideo est etiam de necessitate consecrationis episcopalis quod usum rationis habeat. Quidam autem dicunt, quod ad omnes ordines requiritur usus rationis de necessitate sacramenti; sed eorum dictum ratione vel auctoritate non confirmatur.

Ad primum ergo dicendum, quod non omne quod est de necessitate praeccepti, est de necessitate sacramenti, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod matrimonium causat consensus, qui sine usu rationis esse non potest; sed in receptione ordinis non requiritur aliquis actus ex parte recipientis: quod patet ex hoc quod nullus actus ex parte eorum exprimitur in eorum consecratione; et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod ejusdem est actus et potentia; sed tamen aliquando potentia praecedit, sicut liberum arbitrium usum suum; et sic est in proposito.

ARTICULUS II.

Utrum servitus impediatur a susceptione ordinis.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod servitus non impediatur a susceptione ordinis. Subjectio enim corporalis non repugnat praelationi spirituali. Sed in servo est subjectio corporalis. Ergo non impeditur quin debeat suscipere praelationem spiritualem, quae in ordine datur.

2. Praeterea, illud quod est occasio humilitatis non debet impedire susceptionem alicujus sacramenti. Sed servitus est hujusmodi; unde Apostolus consulit quod si aliquis possit, utatur servitute, 1 Corinth. 7. Ergo non debet impedire a promotione ordinis.

3. Praeterea, magis est turpe clericum in servum vendi quam servum in clericum promoveri. Sed licite clericus in servum vendi potest: quia Episcopus Nolenus, scilicet beatus Paulinus, seipsum in servum vendidit, ut in Dialogis legitur (lib. 5, cap. 4). Ergo multo fortius potest servus in clericum promoveri.

4. Sed contra, videtur quod impediatur quantum ad necessitatem sacramenti. Quia mulier non potest suscipere sacramentum ratione subjectionis. Sed major subjectio est in servo; quia mulier non

datur viro in ancillam, propter quod non est de pedibus sumpta. Ergo et servus sacramentum non suscipit.

5. Praeterea, aliquis, ex quo suscipit ordinem, tenetur in ordine ministrare. Sed non potest simul ministrare domino suo carnali, et in spirituali ministerio. Ergo videtur quod non possit ordinem suscipere, quia dominus debet conservari indemnis.

QAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod propter homicidium aliquis non debeat prohiberi a sacris ordinibus. Quia ordines nostri sumpserunt initium a levitarum officiis, ut in praecedenti dist. dictum est. Sed levitae consecraverunt manus suas in sanguinis effusione fratrum suorum, ut patet Exod. 52. Ergo et in novo Testamento non debent aliqui a susceptione ordinum prohiberi propter sanguinis effusionem.

2. Praeterea, propter actum virtutis nullus debet impediri ab aliquo Sacramento. Sed aliquando sanguis effunditur per justitiam, sicut a iudice; et peccaret habens officium, si non effunderet. Ergo non impeditur propter hoc a Sacramento susceptione.

3. Praeterea, poena non debetur nisi culpae. Sed aliquis sine culpa quandoque homicidium committit, sicut se defendendo, vel etiam casualiter. Ergo non debet incurrere irregularitatis poenam.

Sed contra hoc sunt plura canonum statuta, et Ecclesiae consuetudo.

QAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod illegitime nati non debeant impediri a susceptione ordinum. Quia filius non debet portare iniquitatem patris. Portaret autem, si propter hoc impeditur ab ordinibus suscipendis. Ergo etc.

2. Praeterea, magis impeditur aliquis propter defectum proprium quam alienum. Sed a susceptione ordinum propter illicitum concubitus sum non semper aliquis impeditur. Ergo nec propter illicitum concubitus patris sui.

Sed contra est quod dicitur Deuter. 25: *Manzer non ingrediatur, hoc est de scorto natus, Ecclesiam Dei usque ad decimam generationem.* Ergo multo minus debent promoveri ad ordines.

QAESTIUNCULA IV.

Uterius. 1. Videtur quod propter defectum membrorum non debeat aliquis impediri. Quia afflictio non debet addi afflictio. Ergo non debet privari ordinis gradu propter poenam corporalis defectus.

2. Praeterea, plus exigitur ad actum ordinis integritas discretionis quam integritas corporis. Sed aliqui possunt promoveri ante annos discretionis. Ergo et cum corporis defectu.

Sed contra est quod tales prohibebantur a ministerio veteris legis. Ergo multo fortius debent in nova lege prohiberi.

De bigamia dicitur in tractatu de matrimonio dist. 27.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod in susceptione ordinis mancipatur homo divinis officiis. Et quia nullus potest alteri dare quod suum non est; ideo servus qui non habet potestatem sui, non potest ad ordines S. Th. Opera omnia. V. 7.

promoveri: si tamen promovetur, ordinem suscipit, quia libertas non est de necessitate sacramenti, licet sit de necessitate praeccepti; eum non impediatur potestatem, sed actum tantum. Et similis ratio est de omnibus qui sunt alii obligati; ut ratiociniis detenti, et hujusmodi personae (1).

Ad primum ergo dicendum, quod in susceptione spiritualis potestatis est aliqua obligatio ad aliqua etiam corporaliter agenda; et ideo per corporalem subjectionem impeditur.

Ad secundum dicendum, quod ex multis aliis quae non praestant impedimentum executioni ordinum, potest aliquis occasione humilitatis accipere; et ideo ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum, quod beatus Paulinus ex abundantia caritatis spiritu Dei actus hoc fecit, quod rei eventus probat, quia per ejus servitum multi de grege suo sunt a servitute liberati; et ideo non est ad consequentiam trahendum: quia *ubi spiritus Domini, ibi libertas*, 2 Corinth. 5. 17.

Ad quartum dicendum, quod signa sacramentalia ex naturali similitudine repraesentant; mulier autem ex natura habet subjectionem, et non servus; et ideo non est simile.

Ad quintum dicendum, quod si est promotus sciente domino suo, et non reclamante, ex hoc ipso efficitur ingenuus. Si autem eo nesciente; tunc Episcopus, et ille qui praesentavit, tenentur domino in duplum quam sit pretium servi, si seiverunt ipsum esse servum: alias si servus habeat peculium, debet seipsum redimere; alioquin redigetur in servitum domini sui, non obstante quod ordinem suum exequi non potest.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod omnes ordines referuntur ad sacramentum eucharistiae, quod est sacramentum pacis nobis per sanguinem Christi effusus factae. Et quia homicidium maxime contrariatur paci, et homicidae magis conformantur occidentibus Christum quam ipsi Christo occiso, cui omnes ministri praedicti sacramenti debent conformari; ideo de necessitate praeccepti est quod non sit homicida qui ad ordines promovetur, quamvis non sit de necessitate sacramenti.

Ad primum ergo dicendum, quod vetus lex inferebat poenam sanguinis, non autem lex nova; et non est simile de ministris veteris et novae legis, quae est jugum suave et onus leve.

Ad secundum dicendum, quod irregularitas non incurritur propter peccatum tantum, sed principaliter propter ineptitudinem personae ad sacramentum eucharistiae ministrandum; et ideo iudex, et omnes qui in causa sanguinis ei participant, sunt irregulares propter hoc quod effusus sanguinis non deest ministris dicti sacramenti.

Ad tertium dicendum, quod nullus facit nisi illud cuius causa est voluntarium in homine; et ideo ille qui ignoranter hominem occidit homicidio casuali, non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit: nisi dederit operam rei illicitae, vel nisi omiserit debitam diligentiam, quia jam quodammodo efficitur voluntarium. Nec hoc est propter hoc quod culpa caret, quia etiam sine culpa incurritur irregularitas; et ideo etiam ille qui se defendendo in aliquo casu non peccat homicidium committendo, nihilominus irregularis est.

(1) Addit Nicola: Extra. tit. 19, cap. Magnus.